

### XI. HERACLEA (*Policoro*).

Heraclea colonia condita Ol. 86, 4 = a. u. c. 324 a Tarentinis a. u. c. 472 vel 476 (Cicero pro Balb. 22, 50) foedus cum populo Romano aequi iuris et prope singulare icit (Cicero pro Arch. 4, 6; pro Balb. 22, 50), quod Heracleenses quamquam postea Hannibali se tradiderunt (Appianus Hann. 35), nihilominus retinuerunt usque ad bellum Italicum, quo cum lege Plautia Papiria ipsa civitas Romana iis offerretur, multi erant, qui antiquam foederis libertatem ei praeferrent (Cicero pro Arch. l. c.; pro Balb. 8, 24). Accepit tamen eam itaque municipium factum est (Cicero pro Arch. 4, 8); quapropter postea legis Iuliae municipalis exemplar Heracleae quoque propositum est id, cuius pars bona fortuna ad nos pervenit, habens ab altera parte Graece scriptas tabulas antiquiores (C. I. Gr. 5774, 5775) fines agrorum sacrorum

determinantes. Praeterea inde unica tantum Graeca inscriptio (C. I. Gr. III. p. 1253 n. 5776) innotuit, nulla autem Latina. Legem autem, quam edidimus vol. I n. 206 p. 119, hoc loco repetere nolimus, cum non habeat ad ipsam Heracleam quod proprie pertineat. Hoc unum monebimus, cum Heraclea fuerit media inter fluvios Acirim (= Agri) et Sirim tertio a mari lapide (Strabo 6, 1, 14 p. 264; Plinius h. n. 3, 11, 97; cf. itineraria supra p. 1), id est ibi fere ubi nunc est vicus Policoro, tabulas non eo ipso loco repertas esse, sed longius a mari in alveo fluvii Salandrellae quarto fere a Pisticcio lapide. Quod quo casu acciderit, nescio. Nominatur *Her(aclea) Lycan(iae)* etiam in laterculo militari vol. VI n. 3884 p. 4 v. 21.

### XII. Tricarico.

Ager late patens super oram maris Ionici, in quo fuerunt Heraclea et Metapontum, inter fluvios Acirim et Bradanum, ut in itinerariis paene praeteritur (nullius enim antiquae viae per eum ductae memoria superest nisi supra p. 1 n. II enarratae Heraclea Venusiam, quae ipsa obscura est neque ullum alicuius momenti oppidum tangit), ita titulis plane destitutus est; neque enim inde habemus nisi Tricarici, ubi episcopium est, repertos duos unumque Brindisinum. Utrum ipsa paucitas monumentorum an incolarum barbara incuria magis in causa sit, posteri definient. Grassani, quod est inter Tricaricum et Materam, repertum titulum Latinum memorabilem Andreas Lombardus (*topografia ed avanzi delle antiche città nella Basilicata* in memoriis inst. arch. vol. 1 p. 217)

ait communicasse se cum Gervasio pluresque ibi superesse; item (l. c. p. 221) ad vicum Vaglio, qui est a Brindisi ad septentrionem, extare inscriptionem Latinam *nel bosco di Rossano presso la casa rurale del Cantore Danzi*; sed hos non habemus descriptos. Ad Montepelosum, quod est oppidum inter Tricaricum et Gravinam, in monte Irso qui dicitur repertus esse titulus Graecus (C. I. Gr. 5874 cum add. p. 1260) habens verba ὑπὲρ . . . πολιτῶν Ἰρτίνων mihi videtur ficticius esse; Zavarronius enim episcopus Tricaricensis, cuius fide stat, non alienus erit a Zavarronio illo, de quo supra (p. 3) diximus, et est ipse titulus ve maxime suspectus.

126 sub colle supra Tricarico oppidum verso il Bilioso nella masseria di campagna del sig. Lavecchia Domenico.

d M  
M · ANNIO · VIXIT · ANNIS · XVII · M · VII  
M · ANNI · V · HILARVS · FILIO · PIENTISSIMO · CIVIS  
SI · FATA · FVISSENT · HIC · TITVLVS · DEBVIT · ESSE  
5 ANTE · LEGI · PATRIS  
B · M · F

Ricciardi *viaggio alla Siritide* (Neapoli 1872) p. 96, cui descripsit dominus.

1 O · M traditur. — Videtur titulus caecis hiatibus laborare et in iis cognomen defuncti intercuisse, praeterea sic fere restituendum esse: *cuius, si fata [aequa] fuissent, hic titulus debuit esse [nec] ante legi patris.*

127 Tricarici in ecclesia S. Mariae Lombardorum.

d M  
CN · POMPEIO  
SABINO  
VIX · AN · XVI · M · VI  
5 DIEB · XVIII  
CN · POMPEIVS  
SABINVS · ET  
AEMILIA · PRIMILLA  
FILIO · PIISS · F

Danius misit Aegyptio Saponara d. 8 Nov. 1726.

1 hiatus non significatur.

128 Brindisi Basilicatae in rudibus oppidi antiqui.

D M  
VEN / VIANIAE  
ZOENI VIXIT  
ANNIS LX MESI  
5 BVS III DIEBVS //  
C · CAEVIVS PAE  
DER COIVGI  
B M P

I. M. Rossius dedit Kaibelio.

2 *Ventulaniae* fortasse. — 6. 7 *Phaeder*, opinor.

### XIII. POTENTIA (*Potenza*). Tribu Pomptina.

Potentia (Ptolemaeus 3, 1, 70 in Lucanis mediterraneis; itineraria supra p. 2 n. VI; tituli hic n. 131. 139. 140. 163 et Atinas n. 344) Potentinique (Plinius 3, 11, 98) apud auctores nominantur, sed neque quo agnomine a cognomine Piceni oppido distinguatur, traditum habemus neque originem oppidi, quod a Romanis conditum esse nomen arguit. Inter praefecturas Lucaniae quadratas centurias in iugera n. CC habentes itinere populo non debito liber coloniarum p. 209 Potentinam numerat. Ex titulis intellegitur municipium fuisse (n. 135. 433) rectum a IIIviris modo *quinquennialibus* (sic n. 344 adiecto nomine civitatis, cf. n. 433; *quinquennialis* nude n. 131) modo *iure dicundo* (n. 137. 138; *IIIvir* nude n. 131. 133. 434), *aedilibus* (n. 131. 136. 137. 138. 434), *quaestoribus* (n. 131. 136). Inveniuntur item *curator rei publicae kalendarum* vel *rei publicae Potentinorum* n. 131. 226 et *scriba* eiusdem n. 140. Sacerdotes nominantur *pontifex* (n. 137), *augur* (n. 137), *flamen Romae et divi Augusti* (n. 131), *sacerdos XVvialis* femina

(n. 129), *Augustales* (n. 141. 380. 382), *ministri Larum Augustorum* (n. 137). Denique notabile est *collegium mulionum et asinariorum* (n. 143). Tribus ut Lucanorum universorum fere ita Potentinorum quoque est *Pomptina* (n. 131. 137. 138. 169. 344).

Potentina supra p. 19. 20 vidimus proferri primum a GATTA et a COMO, quorum illum constat, hunc probabile est pendere ex collectaneis archipresbyteri Potentini RENDENA hodie aut deperditis aut latentibus. Emanuel VIGGIANO (*memorie della città di Potenza* Neapoli 1805. 4) et ipse Rendena schedas adhibuisse videtur (v. n. 134. 136. 141), plura tamen ad lapides dedit. Ego a. 1845 Potentiam adii quaeque tum prostabant descripsi adiutus singulari comitate dominorum d'Errico. Non pari fortuna deinde Kaibelius usus est meo iussu Potentiam profectus; nam Bonaventura RICOTTI professor Potentinus quae sibi paravit ea paucis exceptis nobis invidit.